

## AD LECTOREM.

---

Quadraginta circiter anni sunt ex quo primum Sophoclis fabularum editionem suscepi.<sup>1</sup> Hodie alteram editionem τὰς δευτέρας φροντίδας meas aliorumque criticorum emendationes et conjecturas amplectentem, brevi annotatione critica instructam, proferre mihi propositum est.<sup>2</sup> Ex Adversariis meis<sup>3</sup> quodcumque ad Sophoclem emendandum utile videri posset excerpti. In hac opera, ut par est, codicum praesertim manu scriptorum ratio habenda erat. Horum codicum omnium consensu primus locus Laurentiano (Bibl. Laur. plut. 32, 9.) conceditur. Praeterea Parisinorum codicum A. (2712). B. (2787). T. (2711), quorum, ut etiam codicis K. (Par. 2886), collationes pluribus abhinc annis Parisiis feci, quas in Adversariis meis criticis in Sophoclem exscripsi, rationem habui. Laurentiani fere omnes lectiones variantes, omissis tantum minutiis nonnullis, apposui. Codex T. Triclinii recensionem exhibet. Parum tamen auxilii ad textum pristinum

---

1) Sophocles, with English notes (vol. I., in the 'Bibliotheca Classica'), Bell, London 1859. The Philoctetes of Sophocles, with English notes, Williams et Norgate, London 1870. The Trachiniae, 1871. The Electra, 1873. The Ajax, 1875.

2) Moneo siglo 'Bl.' indicari editionem meam priorem: siglo 'Schn.' aut 'Schneid.' Schneidewini editionem; siglo 'Fr.' Fraenkeli editionem; siglo 'Heims.' Heimsoethium; siglo 'Herw.' H. van Herwerdenum; siglo "mss." plerosque codices, non necessario omnes, indicari. Cetera per se satis perspicua sunt. Sicubi occurrit siglum F., deleri id velim, quum idem sit codex F. atque meus K.

3) Adversaria critica in Sophoclem, Halis Saxonum 1900. in Euripidem, 1901. in tragicorum Graecorum fragmenta, 1894. in varios poetas Graecos ac Latinos, 1898. Spicilegium Sophocleum, 1903.